

## Decisionum Aurearum Lib. I.

nec de peccatis cogitare: sufficit enim dici malitia sua ex infirmitate proueniens, ideo cum ægritudine opprimeris, vix aliud cogitare potes quam sentis, & illic rapitur intentio mentis, vbi est vis doloris. Vnde Aug. in c. fi. de penit. dist. 7. Morbus vrget, pœna terret: Filij, quos illicite dilexit, vxor, & mundus ad cum se vocet. Tum propter Dei obliuionem, & clamoris non exauditionem. Vnde Aug. Hac animaduersione percussitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei: & in Prou. 20. dicitur: Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, idest, Christi denudati pendens in cruce, & clamantis, penitentiam agite, clamabit scilicet, tempore infirmitatis, & in die iudicij, & non exaudietur.] tamen in c. omnis, extra de penit. & remiss. vbi ab In-

4 noc. ponitur quod confiteri † quis non tenetur, nisi semel in anno: ibi in illa decretali non est nisi determinatio temporis, & interpretatio diuini præcepti; nam cum in euangelio nõ sit determinatum expressum tempus confessionis, illa determinatio est commissæ ecclesiæ. Igitur præceptum confessionis est de iure diuino, sed determinatio temporis est de iure humano; sic sacramentum Eucharistiæ est de iure diuino, Nisi manducaueritis, &c. sed tempus communicandi semel in paschate est de iure humano; sic Sabbata sanctifices, est de iure diuino, sed colere festum sanctorum Petri, & Pauli, est de iure humano, Sotus in 4. sent. dist. 17. q. 1. art. 1. in 4. concl.

5 Rursum notandum est, quod et si Innocentius III. in d. c. omnis, limitasse videatur præceptum † communionis ad paschale tempus, nõ tamen præceptum confessionis ad id tempus restrinxit, sed tantum confiteri semel in anno. Quo circa quocunque die totius anni homo confiteatur, præceptum implet; unde qui confitetur mense Iunij, vsque ad alterum annum eodem die amplius non tenetur cõfiteri: modo tempore sumendæ Eucharistiæ, si quod mortale crimen

commiserit post confessionem, illud cõfiteatur. Sed præceptum communionis omnino adimpleri debet tẽpore paschatis, quod intelligitur a dominicâ palmarum vsque ad octauam dominicæ resurrectionis, nisi iustam ob causam, & de consilio sacerdotis id in aliud tempus differre oportuerit, vt haberetur in syno. Neap. capit. 15. de sacramento Eucharistiæ. Igitur duo præcepta separatim continentur in capitu. omnis. præceptum de semel in anno consistendo, ad nulum certum tempus restrictum: præceptum communionis ad tempus certum limitatum. Couar. in cap. alma mater. 1. par. §. 1. num. 7. de sent. excomm. lib. 6.

6 Quamuis † iam in vniuersa ecclesiâ cũ ingenti animarum fructu obseruatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadragesi-mæ: quem morem sancta syno. Trident. ses. 14. c. 5. in si. maxime probat, & amplectitur tanquam pium, & merito retinendum. [† Vnde & curatis imponitur necessitas tradendi prælatis in matriculis eorum eos, qui in quadragesi-mis vniuscuiusque anni fuerint, aut nõ fuerint confessi, quos prælati scientes in suis diocesis non esse confessos illo anno, eos non solum pœna pecuniaria puniunt, sed etiam excommunicatione feriunt, vt inquit Ioan. Medi. C. de confess. quæst. 14. de confess. semel in anno agen. † Sed an tales excommunicationes synodales comprehendant meretrices, quæ nec præceptum confessionis, nec communionis adimpleuerunt. Respondit Alfonso, vir quidem peritissimus, atque expertissimus in confessionibus, in suo candelabro aureo de confess. nu. 60. has non concludi: tum, quia nunquã publicantur pro excommunicatis, nec ab earum participatione aliqui fugiunt: tum, quia nõ sunt dignæ laqueis legum, text. in l. quæ adulterium. C. de adult. tum etiam; & alia ratione corroborari potest, quia cum excommunicatio capiat vim ex intentione excommunicantis, & illa debet esse medicinalis, iuxta